



**R. P. Georgii de Rhodes Avenionensis S. J. disputationum
theologiae scholasticae tomus ...**

Rhodes, Georges de

Lugduni, 1661

Qvæstio III. De proprietatibus Personarum Diuinarum in particulari.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81987](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81987)

metu actiones accidentales præsupponunt personam adæquatè constitutam in sua specie, actio tamen subsistens non supponit suppositum constitutum specificè imò in creatis hoc non est semper verum, quia si subsistentia emanat à substantia, actio illa emanativa non supponit personam constitutam. In diuinis igitur actio non potest supponere relationem Paternitatis adæquatè consideratam secundum specificam rationem Paternitatis, sed potest illam supponere consideratam secundum rationem confusam relationis prout est forma subsistens: relatio enim ita confusè considerata constituit personam confusè conceptam quatenus est prior origine actiua.

Neque virget quod addebatur, quia probat tantum hypostasim in Deo non posse præscindi à relatione quod concedo, quia ut sæpè dixi hypostasis, origo, & relatio licet differant in modo significandi, & secundum conceptus confusos & explicitos in re tamen significata non differunt, neque vna concipi potest sine altera. Relatio ergo non præscinditur ab eo quod est constitutum personæ, sed quia diuina personalitas in genere, non est aliud quam relatio confusè concepta. Deinde relatio ut relatio adæquatè concepta distinguit vnā personam ab altera secundum rationem specificam, & distinctam talis personæ, relatio autem ut confusè concepta distinguit vnā personam ab alia confusè concepta. Denique illa forma hypostatica, non est aliquid absolutum, neque aliquid relatiuum distinctè conceptum, sed aliquid relatiuum consideratum confusè ac inadæquatè.

Instantia.

Instabis, si forma hæc subsistens non sit nisi subsistentia in communi, non potest esse ratio distinctiua vnus personæ ab altera, quia per illam non intelligitur distingui ab omni alio cum quælibet persona particeps sit huiusmodi formæ.

Resp. relationem prout est forma subsistens incommunicabilis esse confusè, ac inadæquatè tantum constitutiuam, & distinctiuam vnus personæ diuinæ ab altera, quia per illam intelligitur confusè distingui ab omni alio: sed nondum intelligitur esse constituta in tali specie donec accedat conceptus explicitus relationis. Quælibet ergo persona aliquam habet subsistentiam incommunicabilem, sed diuersam à subsistentia alterius personæ, ideoque per relationem ut est subsistentia incommunicabilis, vna persona differt confusè tantum, & inadæquatè ab altera.

Solutio secundæ.

Ad secundam Resp. formam constituentem esse priorem toto constituto atque ita Paternitatem, & Filiationem esse aliquid prius personæ Patris adæquatè, ac integrè constituta in ratione specifica personæ Patris, quamuis sit aliquid posterius personæ Patris constituta inadæquatè secundum rationem communem personæ, quod nullo modo absurdum est.

Ad primam confirmat. Resp. Paternitatem confusè consideratam ut subsistentia est, esse priorem personæ Patris considerata secundum rationem communem personæ, & Paternitatem consideratam distinctè, priorem esse personæ Patris considerata secundum rationem distinctam talis personæ, quia persona Patris non constituitur in ratione communi personæ, per Paternitatem distinctè ac adæquatè conceptam.

Ad secundam confirmat. eadem responsio est, Pater eo est Pater consideratus adæquatè quo habet Filium concedo, eo est Pater consideratus confusè ac inadæquatè nego. Est autem Pater consideratus confusè antequam, generet non est Pater consideratus adæquatè.

Ad tertiam confirmat. Resp. in illo priori originis si nondum concipitur Filius, Patrem esse constitutum secundum rationem communem personæ, non autem secundum rationem specificam. Nego tamen posse vnquam concipi Patrem adæquatè constitutum in

aliquo instanti rationis, in quo Filius non sit actu existens.

Ad tertiam respondere video Doctores variis modis. Primò enim Capreolus, Caietanus, Vasques, absolute negant, idem esse principium constitutum, & distinctiuum, vnde asserunt Patrem constitui solā Paternitate, quamuis spiratione actiua distinguatur à Spiritu Sancto, sed hoc videtur manifestè falsum, quia id quod constituit entitatem rei, etiam constituit eius vnitatem, ergo facit distinctionem eius ab omni alio. Secundò, nonnulli admittunt spirationem actiuam esse distinctiuam, & constitutiuam personæ Patris, quia Pater constituitur Pater per communicationem naturæ fecundæ, ergo spiratio actiua saltem inadæquatè constituit Patrem, quod idem dici debet de Filio. Sed hoc principium reiectum est aliàs, cum negant Filium esse Filium ob naturā fecundam.

Resp. igitur Patrem & Filium constitui saltem inadæquatè per spirationem actiuam in ratione personæ distinctæ ab omni alio, quia si Pater, & Filius non haberent spirationem actiuam non essent personæ distinctæ à Spiritu Sancto: Paternitas ergo & Filiatio prout connotant spirationem actiuam distinguuntur à spiratione passiva, & illam respiciunt, non tanquam formales respectus, sed tanquam constitutiuæ principij quod producit Spiritum Sanctum. Nam quamuis sola volitio prout connotat spirationem actiuam, sit principium (quo) productiuum Spiritus Sancti, tamen principium (quod) productiuum est Pater & Filius, ut statim diceretur. Igitur distinguenda est illa propositio, Paternitas & Filiatio solitarie sumptæ non distinguunt Patrem & Filium à Spiritu Sancto concedo, Paternitas & Filiatio prout connotant spirationem actiuam nego. Sicut ergo Paternitas non adæquatè constituit Patrem, sic neque illum adæquatè distinguit. Quomodo autem Paternitas, & Filiatio opponantur spirationi passivæ constabit ex dicendis de principio productiuo Spiritus Sancti.

Supererat ut adderem hic aliqua de notionibus personarum diuinarum, de quibus quaest. 2. S. Thom. disputat, sed hæc omnia breuiter dici posse videntur. Primò enim, notio vocatur omnis proprietas, quā vna persona dignoscitur ab altera ideò notionalia vocantur ea omnia quæ non sunt communia sed propria personarum. Secundò notiones vulgò quinque numerantur, nimirum relationes quatuor, quæ (ut patet) non sunt communes omnibus personis, & innascibilitas quæ notio est negatiua, solius Patris propria. Cur autem ingenerabilitas non sit notio Spiritus Sancti, & inspirabilitas non sit notio Filij: ratio est quia innascibilitas secundum modum nostrum significandi significat perfectionem, non autem ingenerabilitas, aut inspirabilitas. Vide Petarium in Proemio lib. 4.

Solutio tertiæ.

Notio quid, & quotuplex.

QVÆSTIO III.

De proprietatibus personarum diuinarum in particulari.

Hactenus dixi quidditatem obscurissimi mysterij, quæ in eo tota videtur consistere quod in summa diuinæ naturæ vnitatem, dentur personæ identificatæ Deitati, sed inter se plures, propter productionem, relationem, subsistentiam. Nunc proprietates ex ea quidditate necessariò manantes, partim ad singulas personas in particulari pertinent, partim ad omnes in communi, de prioribus, primò sigillatim explicari debent nomina, & proprietates personæ Patris. Deinde personæ Filij. Postremò personæ Spiritus Sancti, de cuius principio productiuo accuratè disputari debet.

Sectio

SECTIO I.

Proprietates, & nomina personæ Patris.

S. Thom. quæst. 32.

Nomen
Patris qui-
bus modis
Deo con-
ueniat.

Certum est primò, nomen (Patris) proprium omni-
no esse primæ personæ diuinæ, quia Pater signifi-
cat propriè principium illud viuens quod ex substan-
tia sua producit simile in natura: latius autem signifi-
cat id quod producit simile quocunque modo. Nomen (Patris) sumptum primo modo, est notionale con-
uenitque soli primæ personæ, quæ producit consub-
stantiali sibi Filium omnino similem in natura ex vi
productionis, & principij productiui formaliter, in
quo Filio videt se ipsum totum, & sua omnia præter
Paternitatem, quia *Ut lampas lampadem accendit* (in-
quit Nazianzenus) *sic Pater se toto totum illuminat*
Verbum suum: & quemadmodum duo maria inuicem re-
cumbunt, sic se ipsum totum Pater recipit in Filium.
Ut eleganter ait Zeno Veronensis. Nomen autem
(Patris) sumptum latius est essentialiter conuenitque
tribus personis, quia per eandem sapientiam, amorem,
omnipotentiam producant extra se creaturas ratio-
nales imprimuntque illis suam quandam similitudi-
nem licet infinito interuallo distantem ab illa simili-
tudine adæquata quam vnigenitus Dei habet. Vocatur
igitur Deus Pater quadrupliciter. Primò, & maximè
propriè ratione æternæ generationis, in qua vnicum
habere potest Filium. Secundò, ratione creationis.
Tertiò ratione adoptionis. Quartò, ratione glorifica-
tionis, quia quatuor illis modis producit simile. Sed
analogum tamen est nomen illud (Patris) non vniu-
cum quatenus respicit Verbum, & creaturas, cum re-
latio Patris ad Verbum sit realis, relatio autem ad
creaturas sit relatio secundum dici. Deinde nomen il-
lud (Patris) non est duntaxat proprium primæ perso-
næ nomen sed est perfectissimum, & nobilissimum
eius nomen, & perfectius quàm sit nomen (Dei), ratio-
nemque afferunt Patres disputantes aduersus Aria-
nos quia nomen (Patris) respicit Filium, nomen (Dei)
significat respectum, & dominium creaturarum. Imò
esse Patrem significat coæternitatem, consubstantiali-
tatem, æqualitatem vt rectè ostendit Petavius l. 5. c. 4.

Proxima
radix Pa-
ternitatis.

Difficultas tantum est, utrum proxima radix pater-
nitatis sit intellectio diuina: negat hoc Suarez lib. 8.
cap. 2. sed immeritò, quia Verbum idè est Filius quia
procedit per intellectum, ergo Paternitas oriri debet
ab intellectu. Deinde principium (quo) Filij, debet
esse principium saltem virtuale generationis actiue
quam dixi esse Paternitatem. Illud principium (quo)
est intellectio, ergo ab ea tanquam à principio virtua-
li oritur Paternitas. Neque viger argumentum Suaris
quia (inquit) actiones sunt suppositorum, ergo intelle-
ctio est posterior Paternitate; antecedens enim ve-
rum duntaxat est de actionibus quæ non sunt proprie-
tates essentielles naturæ vt sapè dixi.

Nomen in-
nascibilis.

Certum est secundò, nomen (innascibilis, & inge-
niti) proprium etiam esse primæ personæ nomen, pro-
ut significat omnimodam improducibilitatem, quia
duæ aliæ personæ quamuis secundum essentiam sint
improducibiles, personalitatem tamen habent produ-
ctam: vnde absolutè innascibilitas dicitur esse chara-
cteristica Patris proprietates à Nazianzeno orat. 36.
Athanaf. orat. 2. contra Arianos nomen porrò illud
(innascibilis, & ingeniti) materialiter quidem &
fundamentaliter significat perfectionem aliquam po-
sitium, formaliter autem significat solam negatio-
nem productionis, quia esse ingenitum, quod natus
non sit demonstrat, sed natum non esse negatio est,
ergo nomen etiam innascibilis est negatiuum. Sed
negationis tamen huius fundamentum positium Pa-
ternitas est, quia non est essentia communis tribus

personis, ergo est Paternitas quæ dicitur prima Patris
proprietas, quamuis ergo innascibilitas sit formaliter
priuatio, significat tamen dignitatem quandam, &
authoritatem primæ personæ, sicut esse primum for-
maliter negatio tantum est.

Certum est tertiò, conuenire quoque primæ per-
sonæ maximè propriè nomen (principij) sine addi-
to, quia principium significat id vnde res est, itavt
ipsum non sit ab alio: Pater autem est id à quo sunt
sunt Verbum, & Spiritus Sanctus: potest etiam esse
principij nomen essentialiter, ac commune tribus per-
sonis prout significat id vnde sunt omnes creaturæ.
Nomen (causæ) vix vnquam à Patribus Latinis Patri
tribuitur. Authorem aliqui vocant quod nonnullis
displicet, quia videtur nomen authoritatis. Dicitur
præterea radix, fons, & caput: Imò video à Dionys.
cap. 2. de diuinis nominibus Athanas. contra grega-
les Sabellij, *Vocari principium totius Deitatis & Tri-*
nitatis. Non quod totam producat Deitatem, & Tri-
nitatem, sed quia in Deitate nulla est productio cuius
principium non sit Pater.

Nomen
principij.

SECTIO II.

Nomina, & proprietates personæ Filij.

S. Thom. quæst. 34. 35.

Certum est primò, primum & præcipuum se-
cundæ personæ diuinæ nomen esse quod sit (Fi-
lius) id est persona producta similis in natura & con-
substantialis producenti ex vi productionis formaliter,
quod enim est nomen eius, vel nomen Filij eius
si nosti. De quo nomine sitis dixisse videmur supe-
rius; significat enim consubstantialitatem, & æqua-
litatem ex vi actionis vt actio est. *Nomen Filij æqua-*
litas Patris est, vt dixi aliàs ex Hilario. Sequitur au-
tem omnino ex eo secundam Trinitatis personam ef-
se verè ac perfectè Deum, participem totius naturæ
dignitatis, ac perfectionis diuinæ, plenum de pleno,
perfectum de perfecto. Quam Catholicam veritatem
aduersus Arianos latissime probatam dabunt Suares
lib. 2. cap. 3. Valsq. disp. 109. Petau. lib. 2. & 3. Ruiz
& Valent. Mihi pauca hæc satis erunt.

Nomen
Filij.Diuinitas
Filij Dei.

Primò enim, diuinitatem Verbi scripturæ vtriuf-
que testamenti asserunt clarissime Psalm. 44. *Sedes*
tua Deus in seculum seculi, virga directionis virga re-
gni tui, Et iterum: *Vnxit te Deus, Deus tuus oleo la-*
tititæ præ participibus tuis: Psalm. 2. *Filius meus es tu,*
ego hodie genui te, Itaque 9. *Vocabitur nomen eius admi-*
rabilis, consiliarius, Deus, fortis, Pater futuri seculi:
Et cap. 45. *Tu es Deus absconditus, in te est Deus, &c.*
Osee 1. *Saluabo eos in Domino Deo suo.* In nouo Te-
stamento Euangelium totum Ioann. nihil aliud cre-
brius repetit, *Deus erat Verbum, ego & Pater vnus*
sumus, &c. Et Epist. 1. eiusdem Ioann. *Ut sumus in ve-*
ro Filio eius, hic est verè Deus.

Probatio
ex Scriptu-
ris.

Secundò, veritatem hanc aduersus Arium Patres
omnes probant etiam Ario Antiquiores vt diligenter
ostendit Petavius lib. 2. cap. 8. & sequentibus, Atha-
nas. Hilar. Basil. Nazianzen. Cyrill. Ambros. Au-
gustin. qui legerit, mirabiliter probatam inueniet
Verbi diuinitatem: quam etiam Concilia omnia œcu-
menica post Nicanum grauissimè sanxerunt, & Fi-
lium *ὁμοούσιον*, esse definiunt, damnaruntque tūc
Arium volentem Verbum esse creaturam, tūc se-
quutos postea Semiarianos qui ducibus Acacio, &
Ætio vaferrimè dicebant Filium esse per omnia Pa-
tri similem, & *ὁμοούσιον*, vel etiam *ὁμογενήον*, sed æqua-
litatem & consubstantialitatem prorsus negabant.

Probationes autem Theologicæ petuntur partim à
priori ex ratione Filij, partim à posteriori ex necessi-
tate incarnationis. Quæ verò ex Scripturis pro errore
suo

Probatio-
nes Theo-
logica.

suo Ariani proferebant plurima erant, & quædam ex his obscura, ex 8. Proverb. *Dominus creauit me principium ad omnia opera sua.* Ex Euangelio. *Pater maior me est: quid me dicis bonum nemo bonus nisi solus Deus: sedere autem ad dexteram meam non est meum dare vobis.* Et Apostolus primæ ad Corinth. 15. *Tunc ipse Filius subiicietur ei.* Sed hæc omnia vel dicuntur de Christo vt homine, vel optimum sensum habent, vt probant citati supra Doctores.

Nomen Verbi.

Certum est secundò, alterum secundæ personæ nomen esse, quod sit (Verbum) id est ratio, definitio, sermo, quod nomen negant olim Alogiani & Ariani, temerariè autem Durandus vult nomen (Verbi) propriè loquendo esse tantum essentialia, metaphoricè autem notionale, quod dici nullo modo potest, quia scripturæ, Concilia, & Patres secundam personam absolute appellant Verbum, vt fuse ostendunt Suares, Petauus, Ruiz, Florauentius, & ratio manifesta est, quia Verbum significat, veram representationem obiecti, productam ab intellectu, & in eo manentem: nam loqui, & dicere, non est aliud quam obiectum representare, si tibi representes Verbum esse internum, si alteri Verbum esse externum: *Formata quippe cogitatio* (inquit Augustinus lib. 15. de Trinitat. cap. 10.) *ab ea re quam scimus Verbum est quod in corde dicimus, quod nec Græcum est nec Latinum:* sed secunda persona Trinitatis est formalis representatio eorum omnium quæ cognoscit Deus cum totam habeat intellectiōnem Patris communicatam, producit per intellectum & in eo manet, ergo illa est propriè Verbum, & Pater illud produciens loqui dicitur, non quod representet sibi, sed Filio cui communicat suum intelligere, vnde propriè vocatur sapientia, doctrina, ratio, sermo quo Pater dicens omnia dicibilia sibi, docet ipsum Verbum suum.

Similitudo eius cum Verbo nostro.

Inde omnino fit, vt Verbum diuinum in quibusdam simile sit creato Verbo mentis, sed in pluribus etiam sit dissimile. Simile est, quia est spirituale, nec vllam admittit corpoream passionem, quia producit per intellectum, & in eo manet, productio eius loquutio est, representat obiecta cognita, v.g. totam mentem quoties illa se ipsam cognoscit, neque à nobis potest effici vllum opus cuius forma, & Verbum in mente non antecesserit. Sed dissimilimum tamen est, quia est subsistens & vt loquuntur Patres *ὑποστατικόν*, quia perpetuum, & coæternum Patri, quia vnicum, quia semper nascitur, quia non est id quo Pater formaliter intelligens constituitur, non producit ex indigentia, sed ex fecunditate cognitionis: Ideoque quoad aliqua Verbum diuinum est similis Verbo externo & vocali quam mentali, per Verbum enim externum non nobis loquimur, sed aliis.

Nomen Imaginis.

Certum est tertio, nomen (Imaginis) maxime quoque proprium esse secundæ personæ. Ita enim sæpè habet Scriptura, *Qui est imago Dei inuisibilis primogenitus omnis creaturæ.* Vt habetur Coloss. primo: & iterum Hebræorum primo: *splendor gloria figura substantiæ.* Non enim extrinsecus picta est imago Dei, sed ipse Deus genitor eius est, inquit Athanasius, & Basilus lib. 1. contra Eunom. *Imago viuens, in ipsa vita, non in figura similitudinem, sed in ipsa substantia identitatem retinens:* Eleganter Hilarius lib. 11. *Natiuitatem tenet id natura quod suum est, & in se per imaginem referens quod in se est: dum imago est auctoris, & veritas, quia perfecta naturitas perfectam imaginem præstat.*

Probatio.

Ratio est, quia tria requiruntur ad veram imaginem, primum est similitudo, vt nimirum perfectè conueniat cum prototypo, vnde si conueniat

Tom. I.

in natura est imago naturalis, si conueniat in externis lineamentis est imago artificialis, si conueniat in eo quod reddat obiectum præsens potentia cognoscenti est imago intentionalis. Secundo requiritur processio, vt nimirum imago producatur ab eo cuius est imago; si enim verbi gratia, nummus vnus similis sit alteri nummo, non propterea imago est eius. Tertio, requiritur vt sit similis ex vi processionis formaliter. Hæc tria conueniunt Filio Dei quo totum representat Patrem cui per omnia est simillimus, ab eo procedit, & ex vi processionis illi est similis. Ideo est imago & naturalis propter totam substantiam Patris quam habet, & intentionalis, quia procedit per intellectum, & est ipsamet intellectio representans formaliter Patrem. *Se ipsum dicens Pater* (inquit Augustinus lib. 15. de Trinitate cap. 14.) *Genuit Verbum per omnia æquale sibi, non enim se ipsum integrè perfectèque dixisset, si aliquid amplius, aut minus esset in eius Verbo quam in ipso.*

Est imago propter unitatem naturæ.

Ex quibus reicitur Vasques, qui ait Filium esse imaginem ex eo, quod intellectualiter representet Patrem, non autem propter unitatem naturæ, quod est confundere imaginem naturalem cum intentionali. Quia verò (vt dixi) Pater Verbo ipso non loquitur sibi, sed Verbo cui soli dat cognitionem, propterea Verbum non formaliter representat Patri, sed sibi: quamuis tamen Pater in Filio tanquam in obiecto, videat omnia, non omnia tamen videt in Verbo tanquam in imagine intentionali, quia per Verbum Pater non fit cognoscens, neque intelligit omnia Verbo, sed dicit.

Vtrum autem Verbum imago sit Patris secundum essentiam, an secundum personalitatem facilis responsio est, neutrius solitariè sumptæ ratione imaginem Patris esse Filium, sed ratione personalitatis vt habentis essentiam eandem. Et quidem ratione essentia imago est naturalis: ratione personalitatis, est imago intentionalis, & Verbum, quia ratione illius tantum producit. Denique quoties dicitur figura & character, significatur duntaxat quod sit primaria & expressissima imago ex qua omnes formantur imagines secundariæ.

Reliqua nomina Filij Dei.

Alia omitto nomina eo quod ad tria quæ dixi, omnia reuocantur, sapientia, virtus, vita, veritas, &c. quibus denotantur nomina Filij, Verbi, & Imaginis.

SECTIO III.

Nomina, & proprietates personæ Spiritus Sancti.

S. Thom. quæst. 36. 37. 38.

Certum est primò, tertiam personam Trinitatis esse verè Deum consubstantialē Patri, ac Filio. Multi sunt in huius veritatis Catholica probatione Vasq. disp. 109. Suar. lib. 1. cap. vltim. Petauus lib. 2. cap. 13. & sequent. & lib. 3. cap. 7. Primò enim id ostendunt nomina quibus Spiritum Sanctum Scripturæ vocant vbi apertè vocatur (Deus) Actorum 5. *Ananias, & Sapphira cum dicuntur mentiti esse Spiritui Sancto, mentiti etiam esse dicuntur Deo.* Vt notat Epiphanius Hæresi 74. Deinde quod Isaia 6. Deus loqui dicitur illud idem actorum vltimò Spiritus Sanctus dicitur loqui vt obseruant Basilus lib. 4. contra Eunom. Nyssenus libr. 1. contra eundem: primæ ad Corinthios 3. *Dicuntur fideles templum Dei, quia in illis Spiritus Sanctus habitat,* vt docet Athanasius lib. de communi essentia Patris & Filij. Huc faciunt alia etiam Spiritus Sancti nomina (Vnus) enim dicitur primæ ad Corinthios 12. nomen (Sancti) proprium eius esse non potest si non sit Deus, *Sanctus enim est*

Diuinitas Spiritus Sancti ex eius nominibus.

Ce secundum

secundum naturam (inquit Cyrillus lib. de Spiritu Sancto) *quasi ex Sancto & in sancto secundum naturam Deo.* Nomen etiam (paracleti) hoc idem indicat, alioqui à Christo non diceretur alius à Christo, paracletus, hoc est *mibi similis & equalis*, inquit Nazianzenus orat. 44. quibus adde nomina illa quibus facere dicitur ea quæ solus Deus facit, Spiritus veritatis, Spiritus Dei, Spiritus Christi, adoptionis, veritatis, libertatis, sapientiae, scientiae, &c.

Secundò, id ostendunt proprietates quæ Spiritui Sancto competere dicuntur à Scripturis & Patribus: dicitur enim procedere à Deo, mitti à Deo, effundi à Deo, quod nulli creaturæ potest convenire; non enim dixit: *Qui à Patre creatus est* (inquit Paschasius,) *sed qui à Patre procedit, id est de paterna societate potentia & de proprietate naturæ.* Similiter valde urgent Patres quod baptizari dicimur in nomine Spiritus Sancti: vnum enim dicitur esse nomen Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, ac demum credere dicimur in Spiritum Sanctum, sicut credere dicimur in Patrem, & Filium.

Tertiò diuinitatem Spiritus Sancti probant maxime illius opera quæ Dei solius esse possunt propria vt exponit eleganter Fulgent. lib. 3. ad Thrasim. c. 35. sanctificatio, regeneratio, adoptio, gratia, Deificatio. Dicitur effundi, replere, manere, vngere, habitare in nobis vt templis, quæ omnia diuinitatem Spiritus Sancti sine dubio demonstrant.

Certum est secundò, nomen (Spiritus Sancti) maxime proprium esse tertiæ personæ Trinitatis, non quia expresse est materiæ, sed quia Spiritus respirationem, impulsus, & impetum significat, quod pater ex eo quod ventus Spiritus dicitur: quod autem procedit per amorem mutuum, & infinitum voluntatis, verus est impulsus, & motio, quia amoris est egredi extra se, & tendere in rem amatam, igitur propriè tertia persona procedens per amorem dicitur (Spiritus) id est impulsus & impetus vehemens amoris. Imò (inquit Ambrosius,) *quia communis ambobus est Spiritus, id ipse vocatur quod ambo sunt.*

Certum est tertiò, Spiritum Sanctum secundum personalem suam proprietatem vocari propriè amorem, quia principium à quo prodit amor est, processio eius amatio, & ipse amorem habet communicatum ex vi suæ processionis formaliter, *Tanquam ineffabilis quadam Patris Filique communio*, vt loquitur Augustinus, est autem specialiter amor non quo Deus amat formaliter, sed quasi terminus & fructus amoris quo Pater, & Filius se mutuò diligunt. Hinc à Patribus appellatur charitas amborum, communio, vnitas, amplexus, osculum; verbi gratiâ, optimè à Bernardo dicitur: *Patris & Filij pax imperturbabilis, gluten firmum indissolubile vinculum Trinitatis*, (à Lauritano Iustiniano) *charitatis vinculum indissolubile, suauissimum pacis osculum; mutuusque amoris beatissimus amplexus; quia producunt Spiritum, per modum vnius principij.*

Non est tamen verum quod ait Vasques Patrem & Filium amare inuicem, & creaturas Spiritu Sancto formaliter; cum enim ita sæpè loquitur Augustinus solum significat quod Pater & Filius amando producunt Spiritum Sanctum, deinde quia ex vi amoris communicant amorem, & sic reddunt se amatos Spiritu Sancto cui communicant amorem ex vi amoris.

Certum est quartò, vltimum Spiritus Sancti nomen esse quod dicatur (donum) sic enim vulgò à Patribus vocatur; Basilius: *Donum quidem* (inquit) *Dei est Spiritus sed donum vite, donum virtutis.* Didymus Spiritum Sanctum appellat, *plenitudinem donorum Dei*, Theodorus Abucara, *diuinitas, & prom-*

ptuarium omnium Dei donorum. Ratio est, quia vt aliquid sit personale donum requiritur primò vt sit res alicui data. Secundò, vt ab aliquo detur. Tertiò, vt ex propria sua ratione ac notione, sit ipsa inclinatio donandi se ipsum & alia omnia. Hæc tria soli Spiritui Sancto competunt; Trinitas enim tota est res quæ donatur, eo ipso quod incipit esse nouo modo præsens per effectum aliquem, sed Pater non datur ab aliquo à quo procedat, Filius ex sua quidem proprietate datur, sed non est ratio ipsa donandi, solus enim amor est primum donorum, & ratio donandi omnia, Spiritus ergo Sanctus donum est, quia per gratiam persona eius donatur, quia est amor qui datur, & est causa donandi se ipsum, & alia omnia.

SECTIO IV.

De principio à quo procedit Spiritus Sanctus.

Pater ea quæ dixi nuper de principio productionis diuinarum personarum generatim, grauissima superest controuersia de principio, à quo producit Spiritus Sanctus, quodnam illud sit. Et primò quidem, vtrum Pater & Filius sint principium à quo procedit Spiritus Sanctus. Secundò, vtrum Spiritus Sanctus distingueretur à Filio si à Filio non procederet. Tertiò, vtrum Pater & Filius sint principium immediatum Spiritus Sancti & per se requisitum ad eius productionem.

§. I.

Vtrum Spiritus Sanctus procedat à Patre, & Filio.

Euocauit primus illud in dubium, quem sciamus Theodoretus, defendit autem postea & latissime propagauit pessimus Græci Schismatis artifex Photius sub annum 864. omnium in Græcia malorum author.

Ratio autem dubitandi est primò, quia sæpè in Scripturis dicitur à Patre procedere numquam procedere dicitur à Filio, *Spiritus qui à Patre procedit ille, &c.*

Secundò, si procederet ab utroque duo haberet principia, quia Pater, & Filius duæ sunt personæ distinctæ.

Tertiò, si Pater & Filius sunt principium Spiritus Sancti, necesse est vt paternitas, & filiatio influant in productionem Spiritus Sancti, sed paternitas quæ est generatio actiua, & filiatio quæ est generatio passiuæ non influunt in productionem Spiritus Sancti vt patet, ergo Pater & Filius non sunt principium Spiritus Sancti.

Dico primò, Spiritus Sanctus procedit à Patre & Filio, tanquam à principio vnico, aded vt principium (quod) & principium (quo) productiuum Spiritus Sancti simpliciter vnicum sit.

Prima pars, veritas est Catholica definita in pluribus Conciliis contra Græcos præsertim in Lugdunensi sub Gregorio X. & in Florentino sub Eugenio IV. Probatur autem eximisi Patrum præsertim Græcorum testimoniis quæ dabunt Ioannes Berous, Manuel Calecas, Cardinalis Bessarion aureis ea de re scriptis opusculis, vbi adducunt Epiphanium, Nyssenum, Basilium, Cyrillum, apertissime profitentes Spiritum Sanctum procedere à Filio. Imò & eximisi sæpè methaphorice explicantes eandem ab utroque processionem; vocant enim Spiritum Sanctum, signaculum Filij quo videlicet suam in nobis Filius imprimat similitudinem, vocant respirationem, & quasi halitum oris Filij fragrantiam, & odorem Filij vt vnguenti,

Triplex dubitatio.

Assensio.

Processio à Patre & Filio.

vinguenti, balsami & floris, dulcedinem substantiae Filij, vaporem illius tanquam aquae maxime odoriferæ, vultum Filij. Idem etiam profitentur omnes Latini Patres quos superfluum esset referre. Ratio est autem quam afferunt Augustinus potissimum, & Anselmus, quia ubicunque in diuinis non est oppositio, ibi non est distinctio, non est autem oppositio & relatio ubi non est processio, ergo si Filius distinguitur à Spiritu Sancto procedere ab eo debet. Quæ ratio solidissima est ut statim patebit.

Vnitatis
principij
quod.

Secundam partem de vnitatis principij (quod) spirantis, & producentis Spiritum Sanctum tanquam certam ex fide citata Concilia definiunt, & tenent omnes Theologi. Ratio est quia tunc principium (quod) est omnino vnum, quando forma eius constitutiva est omnino vna, nam ad multiplicationem nominis substantiui, certum est requiri multiplicationem formæ; hæc enim ratio est ob quam tres personæ sunt vnus Deus, sed forma constituens principium spiratum est amor qui sine dubio est vnus in diuinis; quamvis enim volitio illa in obliquo determinetur per duplicem relationem semper vnica est, ergo Pater, & Filius sunt principium vnicum Spiritus Sancti. Deinde ubi vna tantum est vis spiratiua, & vna spiratio, ibi vnicum tantum est principium spiratum; sed Pater & Filius vnā habent vim spiratiuam, secundum id quod illa dicit in recto: ergo vnum tantum est principium spiratum, & vnus spirator, quamvis dici possint duo spirantes, quia multiplicato supposito multiplicari potest nomen adiectiuum.

Vnitatis
principij
quod.

Tertia pars, de vnitatis principij (quo) spirantis definitur etiam in Conciliis probaturque, quia illud principium est amor essentialis in recto, vtrum autem connotet in obliquo Paternitatem, & filiationem, an verò spirationem actiuam, grauis controuersia est, de qua dicam statim.

Solutio
dubitatio-
nam.

Ad primam Respon. etiam ex Scripturis constare quod Spiritus Sanctus procedit à Filio. *Ille de meo accipiet & annuntiabit vobis. Paracletus quem ego mittam vobis à Patre. Si autem abiero mittam eum ad vos, nam ad missionem exigi processionem diceret postea.*

Ad secundam, & tertiam, ut respondeatur examinanda sunt diligenter puncta duo posteriora quæ proposui ex quibus tota pendet controuersia.

S. II.

Vtrum Spiritus Sanctus distingueretur à Filio si ab eo non procederet.

S. Thom. quæst. 36. Art. 2.

Duplex
sensus
quæstio-
nis.

DVpliciter vulgare illud quæsitum exponi potest. Primo sic, si Spiritus non produceretur à Filio & esset idem Spiritus Sanctus, & idem entitatiuè Filius qui nunc est, vtrum alter ab altero esset distinctus. Secundò sic, si Spiritus non procederet à Filio, essetne? necesse tunc ut alius esset Filius, alius Spiritus, & ut ille Spiritus Sanctus qui tunc esset nullo modo distinctus esset à Filio qui tunc esset. De primo sensu nulla esse potest difficultas, quia si Filius & Spiritus nunc realiter distincti, maneant iidem qui nunc sunt, etiam si vnus ab altero non procedat, certum est illos debere esse distinctos: quod vnum ferè probant argumenta Scoti, nam implicat ut entitas Spiritus Sancti quæ realiter non est entitas Filij, maneant eadem entitas & tamen sit entitas Filij, quia tunc simul esset, & non esset entitas Filij.

De secundo, igitur sensu tota est controuersia, vtrum posito quod Filius non produceret Spiritum Sanctum, Spiritus Sanctus distingueretur à Filio qui tunc esset.

Tom. I.

Ratio autem dubitat. primò est, quia est impossibile ut ea quæ realiter sunt duo distincta coalescant in vnā entitatem: sed Spiritus Sanctus, & Filius distinguuntur per suas proprietates reales, ergo implicat ut sint vnum facta quacunque suppositione. Deinde Filius distinguitur filiatione, & Spiritus Sanctus processionem, sed Filius retineret filiationem, & Spiritus Sanctus processionem, quamvis non procederet Spiritus à Filio, ergo distingueretur à Filio cum haberent totum quo distinguuntur. Similiter id quod generatur distinguitur ab eo quod non generatur, sed procedit tantum, Filius generaretur, & Spiritus Sanctus non generaretur, sed tantum procederet, ergo &c. Denique Filius & Spiritus Sanctus retinerent tunc entitatem quam habent, ergo & vnitatem.

Prima du-
bitatio.

Secundò, si Spiritus Sanctus non procederet à Patre distingueretur tamen à Patre, ergo quamvis non procederet à Filio, distingueretur tamen ab eo. Neque dicas esse disparitatem, quia Pater in ea suppositione principium esset saltem remotum Spiritus Sancti per Filium. Sed contra, quia mediata productio non necessario supponit distinctionem, potest enim nepos reproducere suum auum.

Secunda.

Tertiò, si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, ratio propter quam ab eo non distingueretur, est quia in diuinis ut sit distinctio debet esse oppositio relatiua, sed hoc principium falsum est, quia generatio passiva siue filiatio, & spiratio passiva realiter inter se distinguuntur, & tamen inter se relatiuè non opponuntur, quia filiatio non est correlatiuum spirationis passivæ: unde argumentor, idè spiratio actiua, & filiatio non distinguuntur, quia non opponuntur, sed filiatio non magis opponitur spirationi passivæ, quam spirationi activæ, ergo, &c.

Tertia.

Neque dicas generationem passiuam mediata opponi spirationi passivæ, quia vtraque identificatur personis oppositis. Sed contra, quia sequeretur similiter relationes distingui ab essentia quæ identificatur personis oppositis.

Dico secundò, si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, nullo modo ab eo distingueretur, neque idem esset Filius, neque idem Spiritus Sanctus qui nunc sunt. Ita cum sancto Thoma communius asserunt Theologi, contra Scotum, & Henricum.

Conclusio

Ratio est, quia eo argumento vtitur Concilium Florentinum contra Græcos ut probet processionem Spiritus Sancti à Filio, quia si ab eo non procederet ab eo non distingueretur. Deinde vulgaris ratio est, quia in diuinis omnia sunt vnum ubi non obuiat relationis oppositio, sed si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, nulla inter eos esset oppositio relatiua, quæ fundatur in sola origine, ergo nulla esset distinctio. Maior est, axioma vulgare Theologorum quod habetur expressè in Concilio Florentino, & frequentissime apud Augustinum, Anselmum, Nyssenum: & probatur, quia essentia infinite perfecta identificat sibi omnia quæ non implicat cum ipsa identificari, sed non implicat identificari ea quæ non habent cum ea oppositionem, ergo in essentia diuina, omnia sunt vnum ubi non est oppositio relatiua. Confirmat. quia si Filius non sit principium productiuum Spiritus Sancti, nulla erit ratio cur generatio passiva Filij, & spiratio passiva magis distinguantur, quam generatio actiua & spiratio actiua; nulla enim assignari potest disparitas: & similiter non erit maior ratio cur filiatio distinguatur à processionem quam intellectio à volitione.

Probatio.

Ad primam Resp. illo argumento probari tantum quod si Spiritus Sanctus non procederet à Filio,

Solutio
primæ du-
bitationis.

Ce 2

&c

& tamen manerent iidem qui nunc sunt reuera distinguerentur, quod certissimum esse dixi; contendo autem quod in ea suppositione implicaret manere Filium eundem, & eundem Spiritum Sanctum, qui nunc sunt. Fateor ergo esse impossibile, ut ea quæ sunt duo entitatiue, coalescant in vnâ simplicem entitatem, sed factâ eâ suppositione, nego Filium & Spiritum Sanctum habituros esse duas proprias entitates distinctas, cuiusmodi eæ sunt quas nunc habent: imò tunc vel vterque generaretur, vel neuter.

Solutio
secundæ.

Ad secundam Resp. Spiritum Sanctum, si procederet à Filio, & non procederet à Patre immediatè, verè tamen distinctum iri à Patre, à quo procederet tanquam à principio mediato; Pater enim principium esset Filij à quo procederet Spiritus Sanctus, nam in creatis filius æquè distingui debet à suo auctore ac à patre, neque magis suum auctorem potest reproducere, quam suum patrem.

Solutio
tertiæ.

Ad tertiam Resp. generationem passiuam, & spirationem passiuam reuera inter se referri & opponi, non tanquam relationes oppositas, seu non tanquam id (quo) sed tanquam id (quod) refertur, licet enim generatio passiuæ non sit correlatio spirationis passiuæ, constituit tamen principium quod refertur & producit spirationem passiuam: opponi autem relatione dicuntur non solum relationes & productiones, sed etiam principia quæ producunt, atque aded referuntur.

Sed restat tamen tota difficultas, quia vix potest intelligi, quomodo principium quod spiratum constituitur per relationes paternitatis, & filiationis, non autem per relationem spiratoris, de quo disputandum nunc est.

S. III.

Utrum Pater & Filius sint principium immediatum & formale Spiritus Sancti, quatenus sunt Pater, & Filius.

Sensus
contro-
uersiæ.

Dupliciter potest intelligi quod Pater & Filius immediatè producant Spiritum Sanctum. Primo, immediatè realiter. Secundo, immediatè per rationem. Immediatè realiter producant Spiritum Sanctum, si vterque per virtutem quam in se habet concurrat immediatè ad productionem Spiritus Sancti, mediatè autem concurreret Pater, si concurreret tantum communicando Filio virtutem spirandi, quemadmodum auus mediatè tantum producit filium sui filij. Immediatè per rationem producit Spiritum Sanctum, si principium quod productum Spiritus Sancti constituitur per paternitatem & filiationem, non autem per spirationem actiuam, ideò ut Pater & Filius ut sic, id est, prout habentes filiationem & paternitatem sint principium quod immediatè per se producit Spiritum Sanctum: mediatè autem per rationem producant Spiritum Sanctum, si principium quod per se producit Spiritum Sanctum constituitur per spirationem actiuam, non autem per paternitatem aut filiationem.

Prima
dubitatio.

Ratio autem dubitandi primo est, quia si Pater & Filius producant Spiritum Sanctum quâ Pater & Filius, producant illum ut principia distincta, & sic plures sunt Spiratores, quod repugnat Concilijs Lugdunensi & Florentino.

Secunda

Secundo, sicut Pater constituitur per paternitatem, & Filius per filiationem sic spirator constituitur per spirationem; concretum enim omne constituitur per abstractum eiusdem nominis, sed principium (quod) est spirator, ergo principium (quod) constituitur per spirationem.

Tertia.

Tertio, principium (quod) spiratum constituitur per virtutem quæ sit in Patre, & Filio, sed sola spiratio actiuæ vnica est in Patre, & Filio, ergo Pater & Filius per spirationem actiuam constituuntur in ratione principij spiratiui.

Quarto, Pater & Filius non constituuntur in ratione principij, nisi prout referuntur ad Spiritum Sanctum, sed per paternitatem, & filiationem non referuntur ad Spiritum Sanctum, quia Spiritus Sanctus non respicit Patrem quâ Patrem; correlatiuum enim spirationis passiuæ est spiratio actiuæ, ergo per spirationem passiuam, Pater & Filius constituuntur spirantes.

Quarta.

Dico tertio, Pater & Filius omnino immediatè tamen realiter, tamen per rationem producant Spiritum Sanctum, aded ut principium (quod) productum Spiritus Sancti constituitur formaliter paternitate, ac filiatione.

Assertio.

Prima pars, de immediate reali probata superius est tanquam certa ex fide definita (ut dixi) in multis Concilijs contra Græcos, quia scilicet eadem spiratio actiuæ est in Patre, ac Filio, ergo vterque producit per virtutem quam in se habet, quod est realiter immediatè producere. Antecedens probatur, quia Pater necessarii habet illam virtutem spirandi, quam communicat Filio, sicut in se habet virtutem creandi quam Filio comunicat. Similiter Filius recipit à Patre spirationem actiuam, si recipit voluntatem adhuc fecundam, & nondum exhaustam, sed Filius procedens per intellectum, recipit voluntatem adhuc fecundam, ergo recipit à Patre spirationem actiuam, sicut recipit vim creandi, quia recipit omnipotentiam nondum exhaustam.

Prima
pars.

Neque obstat, quod Patres sæpe dicere videntur quod Pater mediatè producit Spiritum Sanctum, imò & quod producit per Filium. Responsio enim certa est, quod Pater tamen mediatè, tamen immediatè producit Spiritum Sanctum, mediatè quia prius origine quam producat Spiritum Sanctum, comunicat Filio virtutem spirandi: immediatè, quia producit per virtutem quam in se habet.

Secunda pars, de immediate per rationem difficilius est, quam negant Molina, Vasq. Becan. Alarcon, Martino, affirmant verò Suar. l. i. r. c. 4. Arrub. Valent. Tauner. Zuniga, Arriag.

Secunda
pars.

Ratio autem illius est, quia si principium (quod) productum Spiritus Sancti non constituitur per paternitatem, & filiationem; spiratio passiuæ nullo modo distingui potest à paternitate & filiatione, probatur, quia in diuinis ubi non est oppositio relatiua, non est distinctio, sed si principium productum Spiritus Sancti non est Pater quâ Pater, paternitas non opponitur spirationi passiuæ, ergo non distinguitur. Neque dicas paternitatem, & filiationem mediatè opponi spirationi passiuæ; hoc enim aperte refellitur, quia essentia non distinguitur à spiratione passiuæ, cui tamen opponitur mediatè quatenus opponitur spirationi passiuæ, ergo mediata oppositio non sufficit.

Respondent ad hoc argumentum variè aduersarij, præsertim Vasq. dicit enim essentiam identificari spirationi actiuæ tanquam aliquid commune, ideoque non opponi spirationi passiuæ. Paternitatem autem & filiationem identificari spirationi actiuæ, tanquam substantias & proprietates constitutivas principij producentis, ideoque opponi mediatè Spiritui Sancto.

Fuasio.

Sed hæc responsio est insufficiens, quia duæ res distinctæ possunt habere vnica substantiam, ut constat ex duabus naturis Christi, quæ vnica habent substantiam: & probabilis multorum sententia est materiam & formam non subsistere nisi vnica indiuisibili substantiâ, imò in hac responsione manifestè petitur principium, quia quaeritur utrum Paternitas sit

fit aliquid proprium solius personæ Patris, an verò sit aliquid commune Spiritui Sancto cui non opponitur; semper enim valet argumentum: illud non est proprietas constitutiva personæ Patris, sed est aliquid commune illi cum Spiritui Sancto, per quod non opponitur Spiritui Sancto magis, quam per essentiam, sed per paternitatem non opponitur magis Spiritui Sancto, quam per essentiam, ergo paternitas non erit aliquid constitutum, & distinctum personæ Patris magis quam essentia.

Solutio prima dubitationis. Ad primam Resp. neg. sequi Patrem, & Filium esse duo principia spiritalia etiam si spirent quia Pater & Filius: quia principium (quod) ut dixi significat in recto voluntatem quæ vnica est. Sicut ergo Pater, & Filius sunt vnus Deus, quia Deitas vna est, sic sunt vnus Spiritor, quia vna est vis spiritalia. Dices principium (quod) dicit personam Patris, & Filij, sed Pater, & Filius, non sunt vna persona, ergo non sunt vnum principium (quod.)

Resp. disting. maiorem, principium (quod) dicit personam solam & principaliter, nego. Dicit personam quatenus determinatam volitionis concedo. Pater autem & Filius quamvis non sint vna persona, vna tamen sunt volitio, & vnus principium spirans.

Solutio secunda. Ad secundam Resp. Principium spiritalium non denominari per spirationem actiuam tanquam per formam denominantem, sed tanquam per viam, & tendentiam ad terminum: forma enim denominans spiratorem, est vis spiritalia, cuius tendentia est spiratio; sicut agens denominatur per vim actiuam ut formam, per actionem autem tanquam per tendentiam ad terminum. Similiter Spirator denominatur per volitionem ut determinatam relationibus Patris, & Filij, quamvis denominetur per spirationem tanquam per viam virtutis spiritalis ad personam productam. Quando ergo dicitur omne concretum constitui per abstractum eiusdem nominis distinguendum est per abstractum eiusdem nominis tanquam per formam constituentem, nego, tanquam per tendentiam, concedo. Similiter enim Pater sub ratione generantis constituitur per generationem actiuam, tanquam per viam, non tanquam per formam constituentem.

Solutio tertia. Ad tertiam nego solam spirationem actiuam esse vnicam in Patre, ac Filio, certum enim est quod voluntas etiam vnica est quæ denominatur vnus Spirator. Neque hinc sequitur denominari etiam debere vnā personam, per vnā essentiam. Disparitas enim est, quia nomen (personæ) in eo differt ab illis concretis, quod hypostasis in eo significetur, & tanquam rectum nominis concreti, & tanquam forma, unde necesse est, ut vbi sunt tres personalitates, sint etiam tres personæ, cum tamen in alijs concretis v. g. in nomine (spirator) persona in obliquo tantum significet personam, ideoque mirum non est, quod plures illæ hypostases vnū constituent spiratorem, licet constituent plures personas.

Solutio quarta. Ad quartam Resp. Patrem, & Filium referri ad Spiritum Sanctum, per paternitatem & filiationem, tanquam per fundamentum, & subiectum relationis, non tanquam per relationem ipsam: Paternitas enim & Filiatio est id quod refertur ad Spiritum Sanctum, spiratio autem actiuā est id quod refertur. In omni enim relatione necesse est distinguere id quod refertur, ab ipsa relatione, spiratio ergo passiuā respicit Patrem, & Filium tanquam id quod habet correlationem, non tanquam correlationem, quia terminus correlationis passiuæ, non est aliud quam spiratio actiuā: quamvis spiratio passiuā respiciat Patrem & Filium tanquam principia alioqui ab illis non distingueretur.

Principium per se requisitum. Ex quibus sequitur omnino, Patrem & Filium spirare tanquam duo supposita per se ita requisita ad spirationem, ut si vnus tantum spiraret, aliud necessa-

riū esset Spiritus Sanctus, ut recte docent Suar. Vasq. & alij, contra Durandum, & Scotum, quia Spiritus essentialiter exigit distinguī à Patre, & Filio, non potest autem distinguī nisi procedat, ergo exigit essentialiter ab vtroque procedere. Deinde quidquid conuenit Deo per se illi conuenit, non per accidens, imò cum Spiritus procedat ut amor mutuus debet à duobus procedere.

QVÆSTIO IV.

Proprietates communes tribus personis.

Quatuor superesse adhuc videntur quæ dicantur de mysterio Trinitatis, eaque tribus personis communia: Missio, Circuminfessio, Aequalitas, modi loquendi de hoc mysterio, sed hæc duo vltima satis exposita videntur quæst. 2. sect. 6.

SECTIO I.

De missionibus diuinarum personarum.

S. Thom. q. 43.

Quatuor de missione personarum diuinarum disputari video à Doctoribus. Primum est existentia missionis personarum diuinarum. Secundò, quidditas missionis huius. Tertio, quidditas missionis inuisibilis. Quarto, quidditas missionis inuisibilis.

S. I.

Verum persona diuina reuera dicantur mitti.

Ratio dubitandi primò est, quia omnia scripturæ loca in quibus personæ diuinæ dicuntur mitti, & dari facile possunt explicari de donis creatis, quæ per illas dantur, & per quæ persona ipsa diuina dicitur esse de nouo præsens, ergo frustra dicuntur personæ ipsæ diuinæ mitti.

Secundò, si persona diuina mitti diceretur ex eo quod procedit ab altera, daretur inæqualitas inter personam procedentem, & personam producentem, nam mittere quandam significat authoritatem in rebus creatis, si autem in diuinis (missio) non idem significat quod significat in creatis, impropria significatio est. Confirm. quia constat inter Theologos, non mitti Angelos superiorum ordinum: ergo multò minus personæ diuinæ dicuntur mitti.

Tertio, Missio non significat nisi processionem æternam personæ vnus ab altera, cum nouo aliquo effectu producto ad extra, sed hoc non sufficit, ut persona vna dicatur mitti, alioqui creatio mundi & continuata eius conseruatio dici posset missio.

Dico primò, certum omnino est ex fide, personas diuinæ Filij & Spiritus Sancti verè ac propriè dici missas, non tantum ratione creatorum donorum, sed etiam ratione sui. Probant Catholicum dogma illud innumeris scripturarum, & Patrum testimonijs Rujz disp. 108. sect. 1. & seq. Suar. lib. 12. c. 1. Petau. Mihi res comperta videtur vbi tam expressæ scripturæ sunt.

Primò enim in toto Ioan. Euangelio nihil habetur frequentius, c. 3. *Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut iudicet mundum.* c. 4. *Meus cibus est ut faciam voluntatem eius qui misit me.* c. 6. *Sicut misit me viuens Pater.* Neque dicas Filium Dei dici missum ratione humanitatis assumptæ, non autem ratione personæ increatæ; sicut enim mortuus dicitur Deus, eo quod mortua sit humanitas, sic dicitur missus ex eo quod missa sit humanitas. Contra enim est, quia licet Christus missus dici possit etiam ratione assumptæ humanitatis, tamen ratione personæ magis propriè missus est, quia missio ut pater dicit præexistentiam eius qui mittitur, sed sola persona Verbi præexistit incarnationi, ergo per incarnationem maxime propriè dicitur mitti persona Verbi. Accedit communis

Prima dubitatio.

Secunda.

Tertia.

Conclusio affirmans.

Missio Verbi.